

De 7523





W. Spieß.

Hildesheim
März. 1846





A V C T O R I T A T E

ET

S V B A V S P I C I I S

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

D O M I N I

G V I L J E L M I IX.

LANDGRAVII HASSIAE REGLIA

ACADEMIAE

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

AD

NOVI MAGISTRATVS ACADEMICI INAUGVRATIONEM

IPSIS CALENDIS JANVARIJ A. MDCCCIII.

CELEBRANDAM

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

INVITAT

ACADEMIAE PRORECTOR

JOAN. MELCH. HARTMANN,

DOCTOR ET PROF. PHILOS. ET LING. ORIENT. P. ORD.

IN EST EDRISII HISPANIAE PART. II.

MARBURGI

TYPIS KRIEGERI ACADEMICIS. MDCCCIII.



EDRISII HISPANIA.

§. 4.

Fluvii.

Andalusiae sive Hispaniae regiones multis irrigantur passim fluviis. Sunt, qui centum et quinquaginta numerent *). Alii aliis sunt nobiliores; alii, uti Tagus, Budu, Minius, Tarun, Merar, Anaschet et Vadi Artakira, de quibus paulo post dicemus, ob insigne naturae phaenomenon, quod fluxum et refluxum maris vulgo **) dicunt, maxime memorabiles. Jam eos omnes, de quibus Edrisius commemorat, describemus fluvios; sunt autem ferè sequentes:

1)

*) Cf. P. MERULAE Cosmogr. p. 289. BÜSCHINGIUS adeo, nisi forte sit typhothetae lapsus, exhibet . . . der grosen und der kleinen Flüsse in Spanien sollen an 250 seyn.

**) Cf. VARENI Geogr. gen. ed. II. p. 123.

A

1) *Nahar al chabir* *) seu *flumen Cordovae* **). (Ptolemaeo est *Baetis*, vnde olim denominata, quam mediam secat, provincia Baetica; Straboni et Pausaniae *Tartessus*; Stephano Περ-
κης, apud quem levi forsitan mutatione scribendum Κερκης,
Livius enim Circen s. Circium ab incolis nominari notat ***).
Quae de hoc flumine maximo exhibet Edrisius, sunt fere haec:
„Exor-

*) EDRIUS. Clim. IV. Sect. 1. huiusque sectionis primae, p. 162. Auctores alii loco *Nahar al chabir* exhibent *Vadi al chabir*, quod tamen vix dissensionem dixeris, siquidem nomen vtrumque *fluvium magnum* significat, quem eundem auctores recentiores, accolae et omnino Hispani hodie, retento sono arabico, Guadalchebir s. Guadalquivir appellant atque pronunciant. Aliud quidem est flumen Andalusiae grande, Iberum puta, quod *Nahar al chabir* quoque interdum vocatur; flumen autem Cordovae *κατ' ἐξοχην* et per excellentiam *flumen magnum* nominari consuevit; vere itaque ABULFEDA (p. 174 vers. lat.): „eum Hispani, quod suorum fluviorum est maximus, *fluvium maximum* appellant.”

**) Notandum est, solere autorem nostrum ab urbibus primariis, ad fluminum litora adpositis, flumina ipsa denominare. Habemus itaque h. l. flumen Cordovae; habebimus infra flumen Mursiae, flumen Lablae, Tortosae etc. ABULFEDA (p. 129 coll. p. 174. vers. lat.) et TAMIMI (p. 171), eundem morem secuti, quem *Cordovae fluvium* vocat Noster, *fluvium Seviliae* appellant; verum EDRIUS, uti diximus, eum constanter *fluvium Cordovae* compellat; paulo ante nimirum „Sevilia, inquit, sita est ad fluvium magnum Cordovae.”

***) Vid. P. MERULAE COSM. p. 291 sq. DANVILLE Handb. ed. HEEREN p. 63.

„Exoriuntur ab imis radicibus cuiusdam montis *) duo flu-
 „mina, quorum unum est flumen Cordovae, *Nahar al chabir*
 „vocaturn, alterum est flumen *Abiad*, quod Murfiam alluit.
 „Emanat autem flumen Cordovae hoc ex monte et quidem ex
 „aquarum congerie, quasi lacu quodam, qui monte in ipso
 „conspicitur, et mox sub eodem monte se condens, paulo post
 „erumpit e quodam loco in montis radicibus et ad occasum
 „decurrrens attingit montem *Nedschada* **), tum delabitur ad
 „*Gádera* (غاديرة), post adjacentia urbis *Ubedae* (ابدة) loca al-
 „luens, transit per inferiores urbis *Bidsae* (بياسة hod. ni fal-
 „lor, Baeza) partes, pergitque ad castellum *Andudschar*
 „(أندوجسر), ad *al Kasir* (القصير, hod. Andujar f. Anduxar), ad
 „*Abulfeda* teste Cordovae praeturae nobilioris nomus); ad
 „pontem *Aschtasán* (اشتسان), ad *Kortobam* (قرطبة hod. Cor-
 „dova), ad arcem *Madur* ***), ad castellum *al Dscheraf* (الجرف),
 „ad castellum *Lora* (لورا, hodie oppidum Lora), ad castel-
 „lum *al Kolia* (القليعة, hodie, ni fallor, Alcolea), ad castellum
 „*Kati-*

A 2

*) Nomen montis silentio quidem praeternittit autor noster; est autem
 procul dubio STRABONIS *Orospeda* mons, hodie *Segura*, de quo vid.
 BÜSCHING p. 130. coll. 134. ABULFEDA p. 174. et cf. not. seq. p. 4.

**) Vid. supra Partic. I. p. 25. Situs ergo huius montis hoc ex loco
 manifestus adeoque indubius,

***) SIONITA exhibet „Modañar f. rotundum”; in libro est *البدور*
 ABULFEDA (p. 130. vers. 126.), ubi urbem Cordovam memorat, huius
 quoque „arcis rotundiformis” mentionem facit.

„ *Katinâna* (قطينانة), hodie, ni fallor, Cantillana), ad *al Zâ-*
 „ *rada* (الزارة) ad *Afchbîliam* (اشبيلية), hodie Sevilla) ad *Kab-*
 „ *tâl* (قبطال) apud Abulfedam قبطال insula magna fluminis
 „ Sevillani) ad *Kabtâr* (قبطومي), ad *Tarbeschânâ* (طربشانة)
 „ Abulfedae طربشانة Tarjana; hodie Triana?) ad *al Masâdsched*
 „ (المساجد), denique effunditur in mare tenebrosum. ” De
 fontibus, de cursu et ostio huius fluminis grandis quae nobis-
 cum communicavit Abulfeda, maximam partem cum descrip-
 tione Edrifiana concordant; hoc ipsum tamen in illis contin-
 gere intelligo, quod in aliis huiusmodi scriptoribus, vt nunc
 sit autore nostro diligentior Abulfeda, nunc Abulfeda pro-
 lixior Edrifius *). Nec dissentit, quem saepius jam laudavimus,
 Ta-

*) ABULFEDA (p. 174. vers. lat.) inter alia exhibet: . . . aequat fere, vt
 ait Saidi filius, Tigridem . . . exit e montibus Schakura . . . inde
 recipit multos fluvios . . . progressus e montibus Schakura versus
 Gajjan, transit urbem Bajjafah et urbem Ohedah et Baeza, inde
 Korthubam et prope abest ab Ifchbilia . . . facto flexu decurrens ex
 oriente in occidentem, effunditur in Oceanum . . . Contingit in hoc
 quoque fluvio fluxus et refluxus . . . ad septuaginta vsque miliaria etc.
 Cf. BÜSCHING l. c. p. 134. ubi inter alia . . . entspringet im Gebirge
 von Segura auf der südwestlichen Seite desselben (addi potest: qua
 parte *Sierra d'Alcaraz* nominatur) . . . lenket sich von Caçorla weg
 und geht ins Gebirge . . . nimmt den Guadacevas auf . . . fließt
 anfänglich gerade nach Süden, nachdem er aber den Guadalimar auf-
 genommen, gerade nach Westen, bis Sevilla, von dannen aber wie-
 der gen Süden bis San Lucar de Barrainada, woselbst er sich in den
 Ocean ergießt. Cf. P. MERULAE *Cosm.* p. 291.

Tamimi *). Caeterum de vrbibus, castellis etc. paulo ante commemoratis, de quorum situ nulla omnino esse potest dubitatio, infra §. 6. dicemus.

2) *Flumen al Abiad* (i. e. Album) s. *flumen Murfiae* [hodie Segura **)], autore Edrisio ***), „sub eodem oritur monte, quo „Nahar al chabir, exitque e radicibus montis (quamvis alii „dicitent vnum esse eundemque †) cum fluminis Cordovae, „tum

*) p. 171. Mentem auctoris arabici bene explicuit interpres ejus germanicus, I. C. G. KARSTEN (Des Marockaners ABDULVAHAB TEMIMI Fragmente über Spanien) p. 15. vbi . . . Der Fluß von Sevilla nimmt, ehe er zur Stadt Sevilla kommt, viele Flüsse auf, so daß er, wie gesagt, hier wie ein Meer erscheint. Er fällt in den Ocean. cf. l. c. p. 14.

**) vid. BÜSCHING l. c. p. 271. (coll. 299.) . . Der vornehmste Fluß in dieser Landschaft (Murcia) ist *Segura*, vor Alters *Terebis*, *Scaberum*, *Sorabis*, welcher aus Neucastilien kommt, von Abend nach Morgen durch das Land fließet, und durch das Königreich Valencia in das mittelländische Meer.

***) EDRIE. SION. l. c. Verba EDRIISII: النهر الأبيض الذي هو نهر مرسية

†) Dissentiunt ergo, ipso teste EDRISIO, Arabum geographi; sed eorum dissensio, si recte judico, nullius fere momenti; in eo enim amice conveniunt, quod omnes, quorum scilicet scripta mihi innotuerunt, asseverent utrunque horum fluminum fontem habere in monte Segura.

Recte

„tum fluminis Mursiae fontem), fluitque meridiem versus ad
 „castellum *Afred* (أفرن) ad castellum *Muta* (مواله), tum ad
 „Mur-

Recte itaque vereque ABULFEDA l. c. flumen Mursiae gemellum fluminis Ischbiliae vocat, vsus voce قسيم, quae, observante Reiskio notat gemellum, qui parentes et amicum, qui bona cum altero habet communia. Recte sese پورو habent, quae addit autor laudatus: nam, inquit, ex iisdem montibus Schakura oriuntur; neque pugnant contra veritatem quae leguntur, p. 154. vers. p. 227. vbi scilicet:

وهي علي الذرع الشرقي الخارج من عين نهر اشبيلية

i. e. sita est (Mursia) ad brachium orientale, quod exit e fonte fluvii Sevillani. KARSTENIO fraudi fuit vocabulum قسيم, atque effecit vt versionem exhiberet non satis perspicuam. Verba TAMIMI nimirum:

وهو قسيم نهر اشبيلية منبعها واحد ثم يـغـتـرـقـان

versio germanica autem haec: Hier ist noch der schöne (قسيم) Fluß von Sevilla (Guadalquivir). Beyde haben eine gemeinschaftliche Quelle, bald trennen sie sich aber, der eine geht nach Sevilla, der andere nach Murcia (der Segura); bene quidem; nemo autem, nisi textum originalem ad manus habeat, vocum: Beyde haben sensum intelliget unquam, aut ex contextu diyinare poterit; immo contextus aliam quandam admittit interpretationem eandemque autem et a mente auctoris arabici et a veritate alienissimam. Praecedunt nimirum verba:

Im Osten ist der Fluß Tortosa (Ebro), der von einem Berge nach der Stadt Tortosa herab, und dann ins Meer fließt; er entspringt auf dem Berge Segura. Hier ist noch etc. Cave igitur credas flumen Tostosae (Ebro) et flumen Seviliae (Guadalquivir) fontes habere

eds-

„Mursiam, ad *Auriolam* *), ad *Madur* **) ac demum mari se
 „immiscet.” Abulfeda et Tamimi quod flumen album quo-
 que vocatur ab Edrisio, constanter flumen Mursiae vocant.

3) *Ebro*

eosdem. Caeterum, quae de cursu fluvii huius tradit ABULFEDA notatu haud indigna videntur, sunt autem fere haec: Vt Sevilleae fluvius ex oriente in occidentem et oceanum effluit, sic effluit fluvius Mursiae ab occidente in orientem in mare mediterraneum prope al Mursiam. Haec ABULFEDA; veriora autem sunt, quae de ostio huius fluvii nobiscum communicavit EDRIUS, non enim prope Mursiam (nisi forte hocce vocabulum sensu latissimo accipiendum sit), sed prope Guardemar pagum, qui abest ab vrbe Mursia miliar. quinque et quod excurrit, in mare se exonerat. Jam de ejus cursu consentientem sibi habet ABULFEDA BUSCHINGII auctoritatem.

*) SIONITA exhibet: Horivelam: in libro est *أوريولا*; apud ABULFEDAM legitur *أريولا* Nomen hodie vsitatum est Orihuela f. Oriola, cf. BÜSCHING l. c. p. 308, ubi: Orihuela, von den Einwohnern selbst Oriola ... genannt, eine Stadt am Flusse Segura etc. ABULFEDA testante (p. 154. vers. p. 227) ad tractum Mursiae pertinet *أريولا* ac flumini Mursiae adjacet.

**) SIONITA denuo expressit Modaiar; textus habet *المدور*. Jam verò quum in descriptione cursus fluminis Cordovae supra adfuerit *المدور* de lectionis probitate equidem dubitaverim fereque conjecerim pro *المدور* esse legendum *وأمصر*, prope Guardemar enim mari se immiscet Segura s. flumen Mursiae. Cf. BÜSCHING l. c. p. 299. ubi ... stürzet sich hier, nicht weit von Guardemar, ins Meer.

3) *Ebro* (Iberus Ptolomaeo etc.) *). Vbi de vrbe Sarakosta (سرقسطه, hodie Zaragoza) loquitur Geographus noster arabs, simul de flumine Ebro verba facit. „Vrbs Sarakosta, „ait, sita est ad littus fluvii magni, Ebro vocati, qui aquas „partim e regionibus Romanorum, partim e montibus *Kalat Ajub* **), partim e finibus *Kalahorae* (قلهورة, hodie Calahorra „f. Calahorra) effluentes, mutuatur.” Non tam de fontibus †) flu-

) EDRI. l. c. p. 15. النهر الكبير المسمى ابره SION. p. 160. ABOLFEDA (p. 137. vers. lat. p. 227) eum vocat Nahar al chabir; TAMIMI (p. 171) flumen Tortosae. Caeterum cf. supra p. 2. not.

** Vid. Part. I. p. 25.

†) Fontes fluvii Ebro, quos describunt P. MERULA (p. 289), BÜSCHING (l. c. p. 135. coll. 290), alii, Arabum Geographi plane silentio praetermittunt; prospiciendum ergo, ne in errorem nos inducat TAMIMI similiter atque induxit KARSTENIUM, qui p. 15 versionis vernaculae ita transtulit: Im Osten ist der Fluss Tortosa (Ebro) der von einem Berge nach der Stadt Tortosa herab und dann ins Meer fließet; er entspringet auf dem Berge Segura. Scilicet post: ثم يصب في البحر الرومي (i. e. tum in mare Rumi f. mediterraneum ingreditur) subsequuntur quidem verba: منبعا من جبل شقورة (i. e. erumpit ex Schakura monte; f. fontes ejus in Sch. m.); sed nequaquam cum proxime antecedentibus conjungi possunt. Me iudice inter الرومي et منبعا exciderunt verba, vel ثم نهر اشبيلية vel ثم وادي الكبير vel denique ثم نهر الكبير ad fontes Iberi.

fluminis Iberi, quam potius de fluviis et amniculis, quibus augetur et quos secum trahit, h. l. sermonem esse, facile apparet. Atque his consentiunt, quae exhibet Merula, istique meae sententiae favere videntur; ait nimirum: Erumpit . . . apud Cantabros ex Idubeda monte duobus fontibus . . . *inde magnis* crescens annibus; primo Calaguritanis, exceptus arvis (Calahorra) Juliobrigam etc. petit etc. *).

Itaque recte pergunt Edrisius: „Ex his enim fluviis supra urbem Tudelam (ط-ت-ال) in vnum concurrentibus, constipatus, defluit ad urbem Zaragozam et attingit Chairam (خ-ي-ر), tum loca fluminis *al Zeitun* **) petit, ac demum per occidentalem Tortosae (ط-ر-و-ش) plagam, praeteriens, in mare se exonerat.” Quatuor lineis interjectis legimus: „A Tortosa ad ostium fluminis (Ebro? ita est!) in „mare

*) vid. P. MERULAE Cosm. p. 289. cf. BÜSCHING p. 135. vbi . . . er nimmt über 30 kleine Flüsse und Bäche auf etc. coll. p. 290. conf. ABULFEDA (p. 143. vers. lat. p. 229) vbi: „Implicantur apud eam (سرقسطة) quatuor ejus fluvii.”

**) Verba auctoris nostri haec: *البي موضع نهر الزيتون*. Flumen olivarum equidem non novi; bene autem novi tractum ab olivis cognominatum, quem teste EDRISIO (Clim. IV. sect. 1. huiusque p. 8) flumen Ebro alluit; quare non dubitaverim loco *نهر* legendum esse *أقلايم*, contendere.

„mare influentis, intervallum duodecim miliarium ***); „ paulo post denique adjectum deprehendimus: „ ad ostium ejus, „ intervallo 40 miliarium ab vrbe *Taracona* (طركوذا, ho- „ die Tarragona) occidentem versus, dissitum, latissimo sese „ diffundit alveo.” *) Cursum fluvii huius recte vereque de- „ scripisse Edrisium et Merula, Buschingius, alii, contestantur et „ tabularum geographicarum adipectus satis superque demonstrat.

4) *Flumen Jana* s. *flumen Meridae et Batalios* **). Fontem huius fluminis non definit Noster; de cursu ejus pariter filet, ac omnino ejus non nisi in transcurso meminit; paucula ergo, quae de illo habet, haec fere sunt: „Vrbs *Merida* sita est ad flu- „ men *Jana*” Probe; vid. tabb. geogr. Paulo post exhibet: „Ca- „ stel-

***) ABULFEDA (p. 137) autore fluvius magnus, qui Saragossam praeter- „ lapsus in mare mediterraneum ad 20 ferme miliaria infra Tortosam „ effunditur.


*) De ostio eius memorat MERULA l. c. . . peracto quadringentorum „ sexaginta millium passuum cursu, in Mediterraneum, cognomine ipsi, „ Pelagus tam violenter duobus ostiis (facta *Alpha* *cia* e insula) ingre- „ ditur, vt quinquaginta passus in mare profusus dulcis hauriatur. „ Pulchre concinit BÜSCHING l. c.

***) EDRIIS. Clim. IV. sect. 1. huiusque p. 11 sq. vbi نهر يانده وهى „ نهر ماردة وبطليوس ABULFEDA (p. 128. vers. lat. p. 225) flu- „ men *Batalius* vocat. De urbibus *Merida* et *Batalius* (hod. *Badajoz*) „ conf. infra §. 6 et vid. BÜSCHING. p. 284 sq.

stellum *Mertola* *) munimine atque fortitudine celeberrimum, adjacet flumini Jana." Alio denique loco reperiuntur haec: „Inter insulam *Schaltisch* (شلطيش, hodie Saltes) et arcem „in mari finitimam, *Kasala* (قسطلة) vocatam, est ostium fluminis „Jana." Haec Edrisius. Graecis aequae ac latinis scriptoribus olim fuit *Anas*; Arabibus procul dubio *Ana*, adjecto vocabulo, quod flumen ipsis sonat, وادي, nimirum, sive وادي, vnde ve-reor, vt scite expresserit nomen ejus Edrisius**). Hispanis hodie voca-

*) *ميرتلة*, hodie procul dubio *Mertola*, pagus, cuius meminit BÜSCHING l. c. p. 93. Meminit ejus quoque TAMIMI (p. 170) et *حصن ميرتلة* (i. e. arx *Martola*) pronuntiat. Interpres eius germanicus (p. 15.) conjicit esse urbem, quam *Motril* hodie vocamus; sed fallitur; sita enim est *Martola*, autore Tamimi, inter vrbes *Schelba* et *Sevilla*, in viciniis urbium *Labla*, *Tavira* etc. *Motril* autem haud longo intervallo a mari distat et ad regnum *Granadense* pertinet; vid. BÜSCHING l. c. p. 235.

***) Forte lapsus librariorum et loco *نهر يانة* rescribendum *نهر انا*, seu, quod verius videtur, وادي انا i. e. *Vadi Ana* i. q. *Guadiana*. Arabes enim, nisi me omnia fallunt, nomen, graecis et romanis scriptoribus vsitatum conservarunt; mihi igitur nominis huius dilucidatio, ex etymologia desunta, quam docti quidam valde commendavere, vehementer displicet. Exhibet eam BÜSCHINGIUS l. c. p. 134 vbi . . . nimmt nach und nach ab und verliert sich endlich . . . Seinen lateinischen Namen *Anas* leitet man von dem Arabischen Worte *Hanafa* (خنفس) sich verbergen, her. Favent quidem huic conjecturae verba ejusdem autoris quae sic sonant: Man nimmt an,



vocatur Guadiana (i. e. flumen Ana), recepta ab Arabibus voce, quibus, vti diximus, Vad, s. Vadi fluuius est. Caeterum arx, quam Kastala vocat Noster, hodie, ni fallor, Castro Marim vocatur; testante enim Büschingio inter Ayamonte et Castro Marim mari se immiscet Guadiana *).

5) *Flumen Lablae* **). Autore Edrisio „erumpit flumen „Lablae e radicibus montis, super quo condita est vrbs *Vel-
ba*

an, das er in dem See, der Ojos de Guadiana d. i. die Quellen der Guadiana genennet wird, wieder zum Vorschein komme; verum neque consonantes conveniunt neque video, quomodo nomen hoc, graecis et latinis autoribus vsitatum, ex lingua arabica s. ex scriptoribus arabicis petere possit originem.

*) Cf. BÜSCHING l. c. p. 8. Add. P. MERULA p. 291 vbi . . . et austrum versus, alias vrbes praetergressus, ad Castrum Marinum in Oceanum evolvitur.

**) EDRISI l. c. p. 10. exhibet *لابل* *زهر*; paulo post scriptum occurrit *لابل* (Laba); SIONITA p. 155 constanter Labla effert. Quae lectio verior sit? non habeo dicere. TAMIMI l. c. *لابل* (Labla) quoque habet; sed, ingenue fateor, non novi urbem huius nominis. Estne Niebla? fortassis; nec autem ad flumen Odiel sita est, sed ad Tinto (vid. BÜSCHING l. c. p. 249); Estne ratione habita lectionis *لابل*, forsitan Lepe? Lepe autem, teste BÜSCHINGIO (l. c.) flumini Saltes adjacet. In hac ergo obscuritate atque dubitatione nihil audeo definire.

„ba *) et ab eo fonte patet via ad vsque urbem Labla. Vrbs
 „Labla autem pulchra et vetustissima, ab oriente habet flumen
 „ex partibus seu confiniis montis ad ipsam excurrens, ita vt
 „stratus pons viam ad urbem aperiat. Ibi in eodem loco est
 „etiam vrbs Velba, insulam Schaltisch prospectans; atque il-
 „lic extat sinus maris, ostium fluminis Lablae excipiens, quod
 „ostium, quia miliaris latitudinem ibi superat, naves penetrare
 „non desistunt vsque ad angustas fauces, in quibus ille sinus
 „ad simplicem alvei fluminis latitudinem redigitur, adeo vt
 „dimidium jactus lapidis adaequet.” Haec Edrisius. Flumen
 Lablae hodie, ni fallor, vocatur Odiel s. Odier, cuius ad littus
 adposita est vrbs Huelva. Vid. et cf. in marg. not. *.

6) *Schenil* s. *flumen Granatae* **). Vbi de vrbe Astidscha
 loquitur Noster, huius fluminis obiter et veluti in transcurso
 mentionem facit. Verba ejus: „Vrbs Astidscha sita est ad flu-
 „men Granatae, quod Schenil vocatur.” Abulfeda autore flu-
 men

*) *EDRISI* $\delta\lambda\beta$, hodie, procul dubio, vocatur *Huelva* s. *Guelba*. „Huel-
 va, vor Alters Onuba, ist ein bemauerter Flecken am Fluss Odiel,
 unterhalb welchem ein Arm dieses Flusses die Insel Saltes macht.”
 Verba sunt *BÜSCHINGII* (l. c. p. 249). De flumine Odiel cf. idem l. c.
 p. 245.

***) *EDRIS.* l. c. p. 23. Verba ejus: نهر اغرناطة لسمي شنييل
ABULFEDA (p. 131) اغرناطة pronuntiat; *TAMIMI* autem Elif quo-
 que praefigit. *BÜSCHING* p. 229. 263. Xenil s. Genil effert.

men est magnum, ac Merula, Buschingio etc. testibus, hodie vocatur Xenil f. Genil *).

7) *Melbál* **). „Obvium habet, teste Edrisio, qui iter „ab vrbe Sevilla ad urbem Cordovam cymbis instituit, ostium „fluminis Melbál.” Equidem non novi hocce flumen; conjicio autem, esse vnum ex amniculis, quos secum trahit Guadalquivir.

8) *Vadi al román* ***) „obvium, autore Edrisio, iter facientibus ab vrbe Sevilla ad urbem Cordovam et quidem in „viciniis Cordovae.” Nec de hocce flumine apud me constat. Forte non est flumen, sed vallis; nam vocabulum Vadi saepius et vallem significat. Crediderim fere in animo habuisse Nostrium vallem illam amoenissimam (*Vadi al román* autem *val-*
lem)

*) ABULFEDA autore praeter flumen magnum شنبيل, alia quoque flumina urbem hanc irrigant; Verba ejus l. c. Fluvii, e monte nivis (vid. Partic. I, p. 27), qui est in ejus meridie, defluunt, pervadunt urbem et molas ejus circumagunt; ac teste BÜSCHINGIO (p. 230): „lieget Granada am Fluss Xenil, in welchen sich hier das Flüschen *Dauro* oder *Darro*, ergieset, nachdem es mitten durch die Stadt geflossen ist.” — Caeterum urbem *Astidscha* hodie vocari *Ecija* in promptu est.

***) *ملبال*, vid. EDRI. l. c. p. 24. SION. p. 165.

***) *وادي الرومان* EDRI. l. c. SION. p. 166.

lem granatorum sonat) quae hodie, quam ob causam, nescio, Cordova la vieja vocatur *).

9) *Schatuir* **). „Edrisio autore vrbs Kasr (القصر) sita „est ad ripam fluminis magni, Schatuir vocati, per quod non „solum cymbae, sed naves etiam velificae frequenti numero „adscendunt.” Neque situm huius vrbis satis exploratum habeo, neque fluminis nomen hodie vsitatum; quare paulo ante dictis addere liceat, tum ea, quae proxime praecedunt, tum quae subsequuntur, ex contextu enim, vt mihi quidem videtur, lucem aliquam foenerari potest locus noster paulo obscurior. Sunt autem fere haec: „A *Cenisa algarb* ad *al Kasr* „intervallum duarum stationum; a *Schelb*, intervallum quatuor „stationum; inter *al Kasr* et mare intercedit spatium viginti „miliarium; ab *al Kasr* ad urbem *Bajuram* duarum stationum „intercapedo; ab eadem ad urbem *Oschbunam* item duarum „stationum intervallum ***).” Conjicit quidem Sionita *al Kasr* esse

*) vid. BÜSCHING I. c. p. 266. coll. 261.

***) شطوير EDRI. I. c. p. 11. SION. p. 156.

***) De *Cenisa algarb* vid. Part. I. p. 13. [Bene sese habent, (vt obiter hoc addam) quae contra versionem vocabuli كاسر quam I. c. non sine dubitatione multa proposui, monuerunt viri docti, qui in schedis literariis Gotting. et Jenens. de Part. I. iudicia interposuerunt. — Caeterum ex literis doctissimi SILVESTRE DE SACY ad me datis cognovi

esse urbem olim Scallabis (hodie Santarem) vocatam; verum syllabus distantiarum hanc conjecturam vix admittit. Nec Abulfeda, nec Tamimi, quod sciam, urbem al Kasr memorant.

10) *Barbât* flumen *). Ostium eius, teste Edrisio, a *Dfchesira al chadra* intervallo 28 miliarum distitum est. Hodie vocatur *Barbate* **).

11) *Beca flumen* ***). „Ostium huius fluminis ab ostio fluminis *Barbât* 6 miliarium intervallo distat.” Deest in tabulis.

12)

gnovi interpretem Edrisii Hispanicum (vid. infra not. penult.) de situ *كنيسة الغراب* idem mecum sentire. Addere liceat verba auctoris mei: Sur *كنيسة الغراب* l'auteur dit: la iglesia del Cuervo *كنيسة الغراب* esto dicen que se funda en cierta tradicion de la Vida de S. Vicente, a qui en sustento en cuervo como al profeta Elias en el desierto: yo he creido que este Cabo de S. Vicente antes clamado Promontorio sacro . . . el templo de Occidente de *الغرابي* etc. — Sed ad rem revertor] — *Schelb* (شلب), hodie *Sylves* vocatur; vid. BÜSCHING l. c. p. 106. — *Bajura*, EDRIISI exhibet *ديومرة*. Non novi hanc urbem. — *Oschbona* nostris est *Lisboa*.

*) *برباط* EDRIIS. l. c. p. 10. SION. p. 154. Cf. infra §. 6. sect.: „Iter a *Dfchesira al chadra* ad urbem *Seviliam* cum maritimum tum terrestre,

***) vid. BÜSCHING l. c. p. 257. et cf. tabb. geogr.

***) *بكا* EDRIIS. SION. ll. cc.

12) *Vadi al nesa* (i. e. flumen mulierum) *) „annis fluens inter *Dscheſira Tarif* (طريف hodie Tarifa) et *Dscheſira al Chadra* (hod. Algeciras). Pariter deest in Tabulis.

13) „*Flumen Asal* (i. est flumen mellis) **) interfecat *Dscheſira al chadra*; dulce est et potum civibus subministrat.” Buschingius nec non tabulae geographicae silent hoc flumen.

14) *Flumen* ***) Edrisio autore „vrbs Valencia (hod. Valencia) exstructa est ad flumen, quod multa incolis „affert commoda; irrigat nimirum arva eorum, habentque ad „ripas ejus hortos, viridaria cum aedificiis bene multis.” Abulfeda mentionem quidem facit huius fluminis, nomen ejus autem pariter silentio praetermittit; Buschingio et tabulis geographicis testibus vocatur Guadalabiar †).


15)

*) وادي النسا EDRIS. l. c. p. 9. SION. p. 154.

**) ذهر العسل EDRIS. SION. ll. cc. Consentit ABULFEDA (p. 123. vers. p. 223) vbi . . . Fluvius ejus vulgo notus est nomine Wadi'l Asali, seu torrentis mellei.

***) EDRIS. l. c. p. 16. SION. p. 160.

†) ABULFEDA p. 156 (vers. p. 227) veluti in verba EDRISII commentatur, Balansia, inquit, est ad lacum, in quem exit fluvius, qui septentrionale latus Valenciae praeteriit. Est in orientali Hispania, loco pulcherrimo, cincta rivis et hortis . . . nihil ibi videas praeter aquas scaturientes . . . lacum habet egregium . . . vndecunque egrediaris
C foras



15) *Schokar flumen* †). „Ab vrbe Valencia ad Dchesira „Schokar, flumini Schokar adpositam, 18 habentur miliaria.“ Paucis interjectis addit Geographus noster: „Castellum Kolira „(hod. Cullera) ad ostium fluminis Schokar extractum est.“ Eiusdem quoque, ni fallor, mentionem facit Tamimi. Ait nimirum: Inter vrbes Valencia et Schátiba (شاطبة, hodie Xativa) sita est vrbs parva *Dschesira al Schokre* (جزيرة الشقرة i. e. insula rubra) et medium fluminis magni, omni ex parte eam circumagentis, occupat ita, vt ad eam non nisi ope pontis pervenire liceat. Hodie vocatur Xucar f. Jucar, et Edrisio auctoritatem suam addunt et Büsching et tabulae geographicae *).

16) *Flumen . . .* **) „Insula *Abalnasa* (hodie forsitan „Pola) in vicinitate vrbis Lekant, et miliaris spatio a flumine „remota“. Lekant hodie vocatur Alikante, tabulae geographicae

foras, non offendas, nisi loca voluptuosa etc. cf. BÜSCHING l. c. p. 301. ubi . . . Valencia . . . am Fluss Guadalabiar, der sich unterhalb der Stadt ins Meer ergießt . . . in einer sehr angenehmen und fruchtbaren Ebene etc. coll. p. 299.

†) شقرة EDRIS. SION. II. CC.

*) Vid. BÜSCHING l. c. p. 130. coll. 299. vbi inter alia . . . ergieset sich bey Cullera ins Meer.

**) EDRIS. Clim. IV. sect. I. huiusque p. 17. SION. l. c. De vrbe Alikante vid. BÜSCHING l. c. p. 307.

cae in huius urbis vicinio flumen quidem ostendunt, sed nomen eius silent; ac situs omnino talis, qui comparationem vix admittat.

17) *Flumina* . . . *) „Ab urbe Lekant ad fauces Balesch „(بـالنش) 57 miliarium intercapedo. Balesch autem sunt varii „portus, pro variis multorum fluminum ostiis, in quae naves „ingrediuntur.” Quid hisce sibi velit Edrisius non modo comprehendere animo, sed ne quidem conjectura possum attingere. An forte de „Golfo di Alicante” sermonem instituit? equidem nescio.

18) *Vadi Bira* **). Edrisio autore „a castello Akle (أكله) „ad amnem *Bira* in terrae planitie ***), cuius ostio mons im- „pendet ingens, super quo exstructum est castellum Bira, in „mare prospectans, intervallum 42 miliarium.” Nomen hodie vŕitatum, ni fallor, aut Berja s. Verja, aut Vera †), vtrumque enim oppidum in confiniis maris mediterranei exstructum.

19)

*) خلوق بالنش Edris. Sion. ll. c.

**) وادي بـيرة Edris. Sion. ll. cc.

***) Textus habet جوف; sed, ni fallor, legendum جوف terrae planities. SIONITA vertit: in imo mediterraneo.

†) Büsching oppidi Berja s. Verja meminit l. c. p. 239; urbis Vera autem p. 236. vid. tabb.

19) *Flumina* ††). „Inter Almeriam et Granatam „situm est castellum *Barschâna* (بَرْشَانَة) ad occursum amborum „fluminum.” Equidem bene scio castellum Barschâna ad no- „mum Almeriae Abulfedae temporibus *) pertinuisse, neque tamen de fluminibus, quae h. l. occurrunt, habeo quod dicam. Paucis interjectis pergit Edrisius:

20) „Castellum *al Kasir* (القَصِير) munitissimum, in an- „gustis faucibus intra flumen exstructum, sub quo transire „cogitur quilibet viator; et hinc ad *Canalem Kabir* (خَنْدَقِ قَبِيرِ) „(قَبِيرِ)”. Fluminis huius nomen hodie frequens pariter me latet; forte est eorum, quae N. 19 adfuere, alterum; sed nihil definio.

21) *Flumen Nâdscha* f. *Toleitelae* **) (olim Tagus hodie Tejo.) Autore Edrisio „sita est vrbs Ofchbuna f. Lisbona ad „sep-

††) EDRI. l. c. p. 21. SION. p. 164.

*) ABULFEDA p. 126. vers. p. 225. vbi . . . Eius (al Marijah) ditionis est arx Beganah (f. Bedschâna بَجَانَة), inde distans sex miliaribus, et arx Barschana (بَرْشَانَة) et arx Schanafch (شَنْش) et vrbs Barga (f. Bardschâ, بَرْجَة) et vrbs Andarufch (أَنْدَرُفْش) etc.

**) EDRI. l. c. p. 12. SION. p. 156. Textus exhibet نَادِشَا Nâdscha. ABULFEDA (p. 140. vers. lat. p. 228) habet *Bâdscha* (بَادِشَا) Ait ni- „mirum: „Toleti fluuius ad eam (urbem Toledo) defluit e monte Schara,

„septentrionalem ripam fluminis, Nadscha vocati, quod et
 „Toleitela (طليطلا, hodie Toledo) flumen est.” Haec de
 nomine Tagi fluminis; sunt vera mixta falsis; ab vrbe Toledo
 recte quidem cognominatur flumen Toledi; sed nomen Nadscha
 vnde acceperit, divinari nequit. Alia eiusdem nomina, vti
 Badfcha, Budansch et Tadschu infra not. b. ex Abulfeda, Sai-
 dide et Tamimi commemorata sunt. De eius origine filet No-
 ster; exponunt autem eam Abulfeda, Merula et Büsching *).
 Pergit Edrius: „Fluxu ac refluxu maris ad multam distantiam
 affi-

Schara, ortus apud arcem, quae Badfcha dicitur; vnde et ipse fluuius
 vulgo meruit fluuius Badfcha appellari.” Cf. idem p. 116. vers. lat.
 p. 221. vbi: prodit apud Badfcham e dicto monte Schara fluuius To-
 leitela. Vtraque scriptio, si recte video, corrupta, quare conjicio,
 aut legendum esse تاجد Tadscha, i. q. Tagus, aut, praeunte TA-
 MIMI (p. 171.), rescribendum تاجو Tadschu. Aliam lectionem ex
 Saidide desuntam, in medium profert Abulfeda (p. 149. vers. p. 250),
 بودنش Budansch, puta, s. Budansch; neque autem, quomodo
 eam aut defendam aut illustrem, bene video.

- *) ABULFEDA ll. cc. vid. not. proxime praecedentem. Arcem Badfcha,
 de qua l. c. sermo est, non novi; imo de lectionis probitate dubito.
 Autore MERULA (p. 299) nascitur in altissimis Orospedae jugis, sta-
 diis quinquaginta ab oppido parvo cui nomen Tragacet, haud procul
 ab vrbe Concia, nunc Cuenca etc. Cf. BÜSCHING (l. c. p. 155) vbi:
 Der Tajo entspringet in den Bergen von Albarracin in Aragonien,
 auf der Gränze der Provinz Cuenca, nicht weit von der Quelle des
 Flusses Xucar etc. De monte Schara vid. Part. I. p. 23 sq.

afficitur." Neminem autorum meorum ad hoc phaenomenon animum attendisse, equidem satis mirari non possum. Addit denique Noster: „Fundit se flumen hoc ad urbem Oschbuna „in latitudinem sex miliarium". Bene; consentiunt Merula et Büfching *).

22) *Flumen Mondin s. flumen Kolimriae* **). Quae de ostio fluminis Mondin, cuius nomen hodie vsitatum, Mondego esse, inter omnes satis constat, nobiscum communicavit Edrisius, haec sunt: „Inter urbem Kolimria (قلمرية), hod. Coimbra olim ; Colimbria f. Conimbriga) et mare occidentem versus, spatium „est duodecim miliarium; ibique sese exonerat flumen huius „urbis Mondin vocatum, ad cuius ostium et ad littus maris „ex-

*) MERULA l. c. . . ultra Olisipponam in occiduam se exonerat oceanum; ostio bis milliura, ut quidam notant, quinquaginta passuum latitudine. Quod ad ostii latitudinem, si censenda illa inter duo Promontoria, quae vulgo nominari solita dixi Cabo de Roxent et Cabo de Spichel, Nostrates nautae quibus haec notissima, numerant decem fere Leucas; sin, qua maxima angustia, inter duo interiora promontoriola, quorum Borealius S. Giaon, Nostris S. Gielis, Australius Trafaria, unius tandem et semis est Leucae. Cf. BÜSCHING p. 7. vbi . . . breitet sich nach seiner Mündung zu sehr aus etc. TAMIMI (p. 171) autore flumen magnum, Tadschu vocatum praeterit urbes Toledo et Santarem . . . et in oceanum se exonerat.

**) (قلمرية) EDRI, Clim. V. sect. 1. huiusque sectionis p. 2. SION. p. 215.

„exstructum est castellum, quod *Mont Major* (مونت مایور)
 „vocatur.“ Nomen huius arcis hodie frequens esse Monte
 Major velho s. Montemôr o Velho, Buschingius testatur, qui
 idem ad oppidum Buarcos flumen Mondego in mare ingredi,
 autor est *).

23) „*Budu flumen* **) a Mont Major intervallo 70 milia-
 „rium diremtum, magnum est atque navigerum et fluxus maris
 „ac refluxus ad multa miliaria in eius alveum protenditur.“
 Hodiernum fluvii nomen *Vouga* †).

24)

*) Vid. BÜSCHING p. 63. vbi: *Montemôr o Velho*, vor Alters Medobriga,
 ein Flecken am Flusse Mondego etc. cf. idem p. 61. vbi: *Buarcos*,
 ein Flecken, nicht weit vom Meer, wo der Fluß Mondego in das-
 selbe flieset etc. De eius fonte cf. idem p. 70: vbi: Die Stadt
Guarda liegt nicht weit vom Ursprunge des Flusses Mondego.

**) بوضو vid. EDRAIS. SION. II. CC.

†) BÜSCHING p. 63. vbi: Aveiro ein Flecken, an einem kleinen Meer-
 busen, in den der Fluß Vouga fällt, mit einem Hafen, der für
 mittelmäßige Schiffe gut ist. Quae proxime subsequuntur, ad ea illa-
 stranda forte faciunt, quae de fluxu et refluxu maris exhibet Noster.
 Sunt fere haec: Der Meerbusen ist eigentlich ein Kanal von See-
 wasser, mit dem sich das Wasser der Vouga vermischt, der sich
 von Aveiro bis an die Villa Ovar erstreckt etc.

24) *Dueira* s. *flumen Samurae* *). „Ab ostio fluminis *Budu*
 „ad flumen *Dueira* intervallum 15 miliarum. Flumen istud
 „maximum est, crepitans, turgidum, rapidum atque profun-
 „dum, et ad ripam ejus sita est vrbs *Samora* (سورة hodie
 „*Zamora*), quam inter et mare intercedit spatium 60 miliarium.”
 Nomen huius fluminis hodie vsitatum et in vulgus notissimum
 est *Duero* s. *Durius*. Naturam ejus, qualem *Edrisius* describit,
 alii autores, quamquam multa de eius fontibus, de flumi-
 nibus, quibus augetur, commemorant, silentio quidem praeter-
 mittunt, neque tamen a veritate abhorret descriptio *Edrisiana*;
 teste enim *Buschingio* plerumque montibus interclusum decur-
 rit et *Merula* **), *Durium* . . . apud oppidum *Portugaliae*,
 quod *Portus* dicitur, *rapidissimo cursu* occidentali se miscere
 oceano, contendit. Tribus paginis interjectis, pergit *Geogra-*
phus noster: „Oppidum *Bona Kâr* [بونه قار, hodie *Miranda*?] †)
 „situm est ad litus fluminis *Dueira*, in finibus *Portugaliae*.”
 Addit deinde „*Dueira* flumen est *Samurae*; atque ad hunc
 „locum trajiciendum cymbis, ad hoc paratis.”

25)

*) *EDRIS*, *Clim*, V, sect. 1. p. 2. exhibet *دويره* *Dueira*; ast pag. 5.
دوبره *Dubera*; perperam,

**) *BÜSCHING* (p. 7) . . . fließt mehrentheils zwischen Bergen. *MERULA*
 p. 290. Caeterum de fontibus etc.; cf. *BÜSCHING* p. 7. 82. 132. 206.
 et *MERULA* l. c.

†) *BÜSCHING* (p. 7) nimirum habet: tritt bey der Stadt *Miranda* in *Por-*
tugall; (cf. p. 133; vbi: nachdem er die Stadt *Zamora* gewässert hat,
 tritt er in *Portugall* ein,

25) *Minu* †). „Ab anni Durio ad ostium fluminis Minu
 „habentur 60 miliaria. Minu flumen magnum est atque ingens,
 „latum et profundum, afficiturque fluxu et refluxu maris ad
 „multum spatium. Naves illud ingrediuntur vel portus ca-
 „piendi causa vel ad lustranda oppida et castra ripis eius ad-
 „jacentia.” Hodie vocatur, vt nemini non notum, Minho
 f. Miño. De castello Abraka, munitissimo fortissimoque, intra
 flumen Minu ad sextum a pelago miliare sito, in insula medium
 flumen occupante, exstructo, supra Part. I. p. 28. jam comme-
 moravimus. Obtinent id pariter ac fluminis naturam autores
 recentiores.

26) *Tarun* *) „A flumine Minu ad ostium annis Tarun
 „intervallum 60 miliarium; atque hic etiam annis magnus est
 „et fluxu maris et refluxu agitatur ad plura miliaria. Haud
 „procul a mari cernitur intra illud flumen insula cum ingenti
 „castello, cuius vtrumque murum alluit flumen ab vtraque
 „parte.” Tarun, nisi me omnia fallunt, ad flumina Galeciae
 pertinet; sed nomen eius hodie frequens me latet. Licet per-
 spicua sit amplexusque ejus descriptio, et mensura Edrisii flumen,
 quod in mappis visitur, *Vlla* nomine, probe concernat, tamen
 vix audeo pronuntiare Tarun Edrisii esse Rio Ulla.

27)

†) مينو EDRII, SION. II. CC. De fontibus, cursu etc. huius fluyii evol-
 vendi MERULA p. 292. BÜSCHING I. C. p. 7. 132. 240. 242.

*) طرون EDRII, I. C. p. 3. SION. p. 216.

D

27) *Adser* f. *Adfer* *) „A flumine Tarun ad flumen Adser
 „habentur 6 miliaria; atque hoc, licet exiguum sit, multis ta-
 „men cymbis praebet stationem.” Neque de hoc — Galeciae —
 flumine satis apud me constat.

28) *Merâr* **). „Ab amni Adser ad ostium fluminis Me-
 „râr intervallum sex item miliarium. Flumen est ingens, fluxu
 „maris ac refluxu agitatum. Maxima navigia portum in eo
 „capiunt. Caeterum cursum habet brevem.” Nec hoc novi
 flumen; verum ad flumina Galeciae quin pertineat, equidem
 dubito nullus; Galecia enim regio fluminosa ***).

29) *Anâschet* f. *flumen Sant Jakob* †). „Ab ostio fluminis
 „Merâr ad ostium fluminis Sancti Jacobi, Anâschet vocati, sex
 „habentur miliaria. Flumen est magnum, aquis copiosum, alveo
 „lato infigne; fluxu ac refluxu maris afficitur, estque per 20 mi-
 „lia-

*) الانسى EDRIS. SION. II. CC.

***) صرارى EDRIS. SION. II. CC.

***) Vid. e. g. BÜSCHING p 240. vbi . . . Man zählet einige 70 Flüsse
 und Bäche. Egregie igitur MERULA fallitur, qui (p. 328), nescio,
 quo autore vsus, exhibet quae sequuntur: Galecia, quod ob montes
 nimis sit aspera, aquisque careat, rarerentur habitatur.

†) انباشت EDRIS. SION. II. CC.

„liaria circiter navium magnarum capax. Hinc ad Cenifa Sant
 „Jakub intervallum sex circiter miliarium.” Büfchingio autore
 vrbs Compostella inter flumina Sar et Sarela, quae deinceps in
 vnum conjugata Arzobispo vocantur, exstructa est. Nomen Aná-
 fchet ergo nemo novit. Abulfeda autore *) circa urbem Schant-
 jakub plures fluyii, qui delabuntur ex montibus vrbi orientalibus.

Jam ex §. 6. abstuli transtulique ad §. 4. Itineris ab vrbe
 Sant Jakub ad urbem Bajonam descriptionem, quippe quae
 praecipue fluminum peregrinatoribus obviam facientium ratio-
 nem habeat. Sermo igitur nobis est primum omnium de

30) *Vadi Tâmerca* **). Edrisio autore „a Cenifa (templo)
 „Sant Jakub maximo procedit e mari tenebroso (oceanio at-
 „lantico) brachium, vergens ab occidente in orientem, quod
 „postea ad plagam meridionalem flectitur aliquantum, donec
 „attingit urbem Bajonam. Iter autem est huiusmodi: Ibis a
 „Sant Jakub ad amnem *Tâmerca* magnum, in quo naves por-
 „tum capiunt. Ab hoc ad caput promontorii in mare valde
 „procurrentis ***) et ab hoc ad

31)

*) ABULFEDA p. 109. vers. lat. p. 219.

***) *ذامر* EDRI. SION. II. CC. Novi equidem flumen Tamar (s.
 Tambra, Tamaris); nescio autem an idem sit cum *Tâmerca* auctoris
 nostri.

***) cuius supra Part. I. p. 31. mentionem fecimus.

31) „*al Ma al ahmar* (i. e. aquam rubram) *) fluvium
 „magnum, cui adjacet *Cenifa* (templum) ingens, haud longe
 „a *Bort Tama* **), quod a Sant Jakob intervallo 42 miliarium
 „distat. Ab hoc flumine (porro) ad *Armeda* (أرمدا) sex ha-
 „bentur miliaria. Hinc ad *Algarve*, castellum magnum, in
 „quo deprehenduntur vestigia *Cenifae* (templi) magni” Et ab
 „*Algarve* ad

32) „*Vadi Artakira* †), amnem, accessui et recessui
 „maris subjectum, ad quem adpositum est castellum *Monteseria*
 „*Debalia* (منحصريه و بلبية) intervallum 60 miliarium. Ab hoc
 „ad

33) „*Vadi Kolonbira* f. *Kabalbira* ††) flumen magnum,
 „cuius ostium patens est ita vt in illud mare influat; 60 ha-
 „bentur miliaria. Adjacet ei specula magna, cui vicinum est
 „*Cenifa Dschaliana* (f. *Juliana*, vti *Sionita* transtulit vocem
 „جلبانية). Et ab hoc flumine ad

34)

*) *السيح الاحمر* EDRI. SION. II. CC.

**) *بورت طامة* Num vocabulum *بورت* sit portus? an *πυλη* (porta, Pafs
 vti scite id vertit Anonymus quidam (in Jen. Allg. Lit. Zeit. 1802.
 27. Jul. N. 211. p. 27) equidem nescio.

†) *وادي آر قنبييره* EDRI. SION. II. CC.

††) EDRI. Clim. V. sect. 1. huiusque p. 4. exhibet *قنبييره* *Kolonbira*;
 tribus lineis interjectis autem exaratum legitur hocce nomen *قنبييره*
Kabalbira. Quae lectio verior sit? non habeo dicere.

34) „*Vadi Sanderia* *) flumen, parvum quidem, sed
 „tam lato alveo instructum, vt naves in eo quiescant, inter-
 „vallum 30 miliarium. Litori eius adpositum est *Cenisa Sant*
 „*Bitar* (سنت بيطر, Sancti Petri). Ab hoc flumine ad

35) „*Vadi Rahbana* **) cuius ripae adjacet *Cenisa Sant*
 „*Ardam* ***) intervallum 40 miliarum. In istud flumen, quod
 „magnum est, influit mare et portus in eo conspicitur ve-
 „nustus; multae praeterea intra illud extant insulae habitatae
 „et plures illi adjacent praeturae (f. regiones اقليم). Et ab
 „hoc flumine ad

36) „*Vadi Solitu Bard Valbanda* †) intervallum 50 mi-
 „liarium. Ab hoc denique ad promontorium Baschkir, in quo
 „est

*) وادي سندرية EDRIS. l. c. SION. p. 217.

**) *Rahbana* f. رحبانه transtuli fixique; sed mera est conjectura; textus enim originalis consonantem tertiam puncto omni f. signo diacritico destitutam exhibet. Eodem igitur jure, si forte placuerit, legere ac figere posses رحبانه *Rahjana*, رحبانه *Rahtana* etc.

***) SIONITA habet *Abraham*; legitne ابراهيم? vix crediderim; textus habet ابرام.

†) EDRIS. SION. ll. cc. In libro est وادي سايطو برك وادي ننده. Notandum est me vocabulo وادي ننده puncta ex ingenio adscripsisse; consonantes enim, et secunda et tertia carent punctis diacriticis.

Num

„est vrbs Bajona, 30 habentur miliaria. A Bajona reflectitur „mare in occidentem.” Haec Edrisius. Omnia quidem, quae leguntur inde a n. 30. vsque ad finem n. 36. diligenter ex Opere Edrisiano congeffi, ea ipsa autem, quomodo scite construam, meam fugit scientiam; neque enim horum fluminum, neque arcium aut templorum in eorum descriptione commemoratorum nomina, hodie vsitata (nulla vocabuli, nulla, ne exigua quidem soni similitudine intercedente,) cognita habeo atque perspecta; neque denique de distantiarum mensura genuina et ad summam subducendam instructa, fatis apud me constat. Vehementer itaque doleo me non ad manus habere neque de Montibus Fluminibusque Hispaniarum libellum quem edidit Hieronymus Paullus Barcinonensis, neque descriptionem Hispaniae Edrisii quem nuper publici juris fecit D. Joseph Anton. Conde *).

Ita quidem Edrisius de Andalusiae i. e. Hispaniae et Portugaliae fluminibus. Diligentior omnino est Geographis Tamimi et

Num ad mentem Edrisii hoc factum? quaestio est altioris indaginis. Ex sententia SIONITAE tria sunt flumina; commate enim interposito Solito a Bard etc. dirimit. Vocabulum **وادي** autem, nisi me omnia fallunt, arguit vnicum fluminis nomen; arguit hoc idem addita distantiae nota.

*) f. t. **ذکر الاندلس تألیف شریف الاسریس** Description de España de Xerif Aledris . . Madrid en la imprenta real 1799. 8.

et Abulfeda, quorum alter non nisi quinque, alter vero non plura quam 18 commemorat. En eorum indices: *).

Tamimi mentionem facit fluminum 1) *Tortosae* (Ebro) 2) *Seviliae* (Guadalquivir), 3) *Segura*, cuius tamen nomen silentio praetermittit, 4) *Tadschu* (Tejo); denique 5) *Xucar*, cuius pariter obticet nomen.

Abulfeda memorat flumina 1) *Seviliae* (Guadalquivir); 2) *Mursiae* (Segura); 3) plura circum urbem Sancti Jacobi, quorum tamen nomina, quod valde doleo, silentio praetermittit. 4) * flumen parvum prope arcem Chanlân (خولان), quae ad nomum Schaduna (شدونة, Sidonia) pertinet. 5) * flumina dulcis aquae ad urbem Ronda (رندة, hod. Ronda) capitalem sui nomi. 6) *Badscha* (Tagus). 7) *Wadi al alsali*. 8) * fl. urbis *Abfisch* pulcherrimum (أبليس; hodie ni fallor Velez). 9) flumen *Batalios* (Guadiana). 10) fl. *Granatae*, Schênil (Xenil). 11) flumen urbis *Valenciae*. 12) flumen magnum *Tortosae* (Ebro) 13) * flumen urbis *Schantarin* (شنتارين, hodie Santillana); et Abulfeda et *Butching* huius fluminis nomen, quod dolendum, silentio praetermittunt. 14) * Flumina urbis *Valid*. Urbs enim *Valid* (مدينة ولبد) Abulfeda teste plus quam tres habet fluvios. 15) * Fl. urbis *al Faradsch* I. *Vadi al Hadschara* (وادي الحجاره; الفرج, hodie Guadalaxara) quod

*) Flumina Asterisco notata sunt ea, quae in Abulfedae, minime autem in Opere Edrisiano leguntur.

quod sub eodem nomine, *Vadi al Hadshara* venit, hodie autem Henares vocatur. 16) Flumina quatuor vrbis Saragossae, quorum tamen nomina obticet; vid. supra n. 3. 17) *Flumen Lepidae, quod in Saragossae flumen se effundit (Segre). 18) *Fl. *Tolu* (طلو) quod effunditur in lacum dulcem ad urbem Bordál (بورنال) quam pro Burdigala habet Reiske.

Sed

Sed haec nunc sufficiant; tempus enim jam est aggrediendi id, cuius causa conscripta est commentatiuncula haec qualis etiam cunq̄ue.

Est scilicet hoc in more patrio Academiae nostrae positum institutoque majorum, ut is, quem suffragia Senatus amplissimi Prorectorem anni futuri designant, quemque literae **PRINCIPIS SERENISSIMI**, suffragia P. C. confirmantes, constituunt, talemque ab omnibus haberi jubent, ipsis Calendis Ianuarii in Auditorio majori Civibus academiae denunciatur, quapropter ad hunc actum solemnem rite concelebrandum a magistratu munus exuente cives ac literarum fautores univ̄ersi ac singuli convocari et invitari solent. Suscipio igitur partes meas et morem hunc patrium veteremque consuetudinem conservo, commemoratis simul iis, quae per anni elapsi decursum gesta sunt memoratu haud indigna. A commemoratione autem rerum faustarum initium sumere liceat.

Quae itaque Dei T. O. M. est gratia, **PRINCIPEM NOSTRUM SERENISSIMUM**, studiorum nostrorum Auspicem felicissimum, sospitem et incolumem nobis conservatum vidimus; vidimus almam hanc Musarum sedem florentem ac civium frequentia, secus ac pro tanta rerum publicarum commutatione expectari poterat, celebratam atque auditoria viva doctorum voce resonantia audivimus. Accessit his felicitatis nostrae documentis indubiis quod Academia Vitebergensis diem festissimum, Jubileum seculare agens, et nos et cives nostros in huius laetitiae societatem vocaverit. Nae, fuit d. xviii. Octobr. et nobis et civibus nostris dies festus; minime ergo irrita tenuit Proceres huius Academiae animi nostri in hac solempni laetitia expectatio. Libelli transmissi, huius festivitatis nuncii, exemplum publico in

E

loeo

loco affigere curavimus, et hortati sumus Committiones Humanifimos „ vt eadem sacra velint nobiscum celebrare, grataque recordatione ampliffimorum omnium, quae exorta ibidem melioris doctrinae luce, re christianorum publice restituta, in religionem, in literas, in omnem generis humani conditionem et sub ipsa Academiae nostrae incunabula in hanc patriam nostram redundarint, memoriam recolere.”

Inter haec tamen fausta (nihil enim ab omni parte beatum) virum optimum, animi candore, et doctrinae copia praestantiffimum, pluribus lustris de Academia nostra insigniter meritum, MICHAELEM CONRADUM CURTIUM, Historiarum, Eloquentiae et Poeseos Professore P. O. morte nobis d. XXIX. Augusti ereptum lugemus.

Cives academicos duo, ob discendi cupiditatem, morum elegantiam et probitatem desideratiffimos, dysentericos, morte nobis ereptos dolemus; ERNESTVM LVDOVICVM SCHOENHALS, *Marburgensem*, et GEORGIVM CHRISTIANVM SCHVLZ, *Schaumburgo-Anhaltinum*.

Quod reliquum est, inaugurandus hoc ipso die est novus Academiae Prorektor, quod solemne, vt celebrare nobiscum velint ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES, BENTHEMIENSIS, LOOZ-CORSWAREM BRABANTINVS, MONASTERIENSIS, MAGNIFICVS ET PERILLVSTRIS ACADEMIAE PROCANCELLARIVS, PROFESSORES OMNIUM ORDINVM, SVMMEVENERABILES, ILLVSTRES AC CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI, GENEROSISSIMI denique ac NOBILISSIMI CIVES, ea, qua per est, observantia atque humanitate rogo. Dabam Marburgi ipsis Calendis Januarii MDCCCIII.





De 7523

D

sb

ULB Halle 3/1
001 061 151



(1/2/3)

Nur für den Lesesaal



